

*Sammelband von Dina*



*U. g. 1975*

THEMATA  
DISPUTATIONIS IX.  
DE INSTI-  
TUTIONE HEREDVM,  
ET EXHEREDATIONE, EX  
TIT. XIII. ET XIV. LIB. II. IN-  
stit. & concordantibus juris te-  
xtib. desumpta:

Q V Æ

*Jehoua Duce & auspice*

PRÆSIDE

*Nobilissimo, Consultis. atq; Amplis. Viro*

DN. ARNOLDO DE REYGER I. V. D.  
& inceleberrimâ SALANA publi-  
co Digestorum Professore.

Academici exercitii gratia ventilan-  
da proponit

JVSTVS TAPPIVS  
HILDESH. SAXO.


Ad diem Novemb. horâ & lo-  
co consuetis.



IENÆ

*Typis Tobie Steinmanni.*

*Ann. M. D. XCIV.*



V I R T U T U M T V M A  
V I T A R V M T U M P R O P R I A R V M

*laudib. ac ornamentis praestanti-  
simis Viris,*

D N. IOANNI Wildesewer INCLY-  
TAE REIP. HILDESHEIM. SENATORI ET EX-  
HYPPARCHO amplifs. atq; Patricio,

E T

D N. ALBERTO AB HOIIA IL-  
LUSTRIS. DUCVM HOLSATIAE Arcis PBI-  
NAE in agro Brunovicensi munitissimæ ac cele-  
berrimæ PRAEFECTO digniff.

ILLI AVUNCULO : ISTI ADFINI  
*à Matertera suo, honore & amore perpetuo  
colendis,*


Hanc ex utilissimâ simul ac frequentiss.  
materiâ disputationem

J V S T V S T A P P I V S Resp.

I N

Studiorum testimonium :  
Observantiæ monumentum : &  
Gratitudinis tesseram

*D D. & lub. offert.*



DE INSTITVTIONE HEREDVM ET EXHEREDATIONE

*Continuatio.*

DE testamenti formâ accidentali sive sollempnitatibus externis *a* & causâ efficiente *b* disputatione proximâ: sequitur nunc de internis, & formâ ipsius essentiali, quæ est HEREDIS INSTITVTIO *d*.

*a* tot. tit. Inst. de testam. Donel. & com. iur. c. 11. VVesenb. ad tit. Inst. de exhered. lib. num. 1. Vult. lib. 2. l. R. c. 73. vocat testamenti faciendi actionem. *b* tit. Inst. Quib. non est perm. fac. test. *c* arg. princ. Inst. de exhered. liber. & ibi VVesenb. n. 2. l. 30. D. de lib. & post her. Instit. Quamvis Papin. in l. 1. de iniust. rupt. test. filij heredis institutionem sollempnitatib. testamenti accuratius distinguendo opponat Duar. de lib. & posther. instit. c. 2. *d* Vult. d. loc. quia institutio caput ac fundamentum totius testamenti dicitur §. ante heredis 34. Inst. de leg. l. 1. in fin. de Vulg. & pup. substit. l. ult. de iur. Codic. Immo testamentum nihil aliud est, quam heredis institutio l. 19. §. 1. de test. milit. l. 14. C. de test. Cuius in Parat. D. de hered. instit. Vult. d. c. 73. & in tract. de testam. pag. 178. Adeoq; ut nec miles quidem herede nullo instituto testamentum facere queat. §. 1. Instit. de milit. test. l. 24. D. eod.

THEMA I.



INSTITVENDI QVIDEM vocabulum ὀμῶνυμον est, & variè in iure accipitur *a*: propriè *a*. significat in locum, vel rem aliquam statuere sive locare. Hinc heredem instituere nihil est aliud, quam designare, quem sibi quis in locum & universum jus suum succedere, & personam suam post mortem repræsentare velit *c*.

A 2

a Sic in-

a Sic instituere item l. Nam et si 15. §. 1. de inoff. test. Vineas l. p. 18.  
D. locat. l. 1. de rei vend. Salictum l. 3. §. 3 sed si quis D. arb. furt. Cesar.  
d. Ab in et statuo compositum Vigl. ad rub. tit. de Vulg. substit. Donel.  
6. com 21. in princ. Mynsing. Vvesemb. et alij ad rubr. in stit. h. t. Disf.  
Hott. ibid. c. Vvesemb. in parat. D. h. t. n. 2. Duar. cod. c. 3. Donell. d. c.  
21. arg. l. 128. de V. S.

2.

Et definitur heredis institutio, heredis à testatore  
facta designatio.

Vult. §. alleg. loc. à Cuiac. in Parat. D. de lib. et post. hered. instit.  
definitur: Hereditatis datio.

3.

Estq; duplex: institutio in specie sic dicta sive spe-  
cialis a, & substitutio b: Illa est, quæ primo fit gra-  
du c: de quâ hac disputatione præsentis. Eius confi-  
deratio consistit tum in personis instituendis, tum in-  
stituendi modo d.

a Institutio enim nomen et generis est et speciei l. 20. in fin. de  
condit. instit. l. 29. in princ. de lib. et post. hered. l. 36. de Vulg. et pup.  
substit. quemadmodum cognatio l. 4. et 10. de grad. Adoptio l. 1. de ad-  
opt. Actio l. 178. §. 2. de V. S. et multa alia iuris vocabula Iul. Pac. diff.  
9. th. 1. Donell. 6. comm 23. b arg. l. 1. in princ. de Vulg. et pup.  
substit. ubi sibi invicem opponuntur non ut genus et species, sed ut species  
contrarie Donell. d. loc. c. d. l. 1. de Vulg. et pup. substit. Gradus autem  
non ex heredum numero estimatur, sed ex ratione et ordine successio-  
nis Vvesemb. et Hott. ad princ. tit. Instit. de Vulg. substit. d. Vult. d. c.  
73.

4.

IN PERSONIS rursus spectatur Necessitas & Fa-  
cultas earundem instituendarum a. EX NECESSITA-  
TE personæ quædam instituuntur necessariò: quædam  
minus b.

a Donel. 6. comm. 11. b Vult. d. loc. Sturc. in Meth. iur. hic.

5.

NECESSARIÒ instituuntur testatoris liberi, pa-  
rentes, sorores & fratres, consanguinei atque germa-  
ni a

ni a: **MINVS NECESSARIO** reliquæ omnes

a Nam his non institutis vel iuste exhereditatis testamentum av. est ipso iure nullum, avt querela inofficiosi impugnari potest. de quo disput. proximam sequente.

6.

Etsi avtem jure veteri varia ac multiplex inter liberos hac in parte fuerit differentia a: hodiè tamen ex Iustin. constitutione indistinctè omnes tam femina, quàm mares, sive primo illi gradu sint, sive ulteriori: tam emancipati, quàm testatoris adhuc in potestate constituti: sive nati, sive nascituri seu postumi heredes in testamento parentis sunt instituendi b.

a Instit. de exhered. lib. usq; ad §. 5. Sed hæc quidem vetustas. l. fin. in princ. C. de liber. præterit. b d. §. 5. & d. l. fin. §. Sancimus.

7.

Parentibus, quamvis liberorum non debeatur hereditas, propter ipsorum votum, & naturalem erga liberos caritatem: turbato tamen mortalitatis ordine non minus parentes à liberis, de reb. proprijs testamentum facientibus, quàm hi ab illis heredes institui debent.

l. Nam etsi l. 5. de inoff. test. l. 7. in fin. D. si tab. test. null. exst. liberis nimirum non exstantibus: nam Causa horum potior l. 14. de inoff. test. VVesemb. §. 2. Instit. eod. Donel. 6. com. 14.

8.

Fratres verò & sorores, personis tantum inhonestis & turpibus sunt præferendi: aliàs licitè præteriri queunt.

§. 1. Inst. de inoffic. test. l. 1. D. eod. l. 21. & 27. C. eod. Donel. 6. com. 14.

9.

Ceterum institutioni huiusmodi opponitur **EXHEREDITATIO**, quæ est hereditatis debitæ ademptio.

Vult. d. c. 73. Alth. 1. l. R. c. 19. Cuiac. in Parat. D. de lib. & post. l. ed. instit.

A 3

Vnde

10.

Vnde omnes, quos necessariò instituendos supra diximus, aut institui heredes aut exheredari debent. Excepto postumo, quem hodiè inutiliter exheredari communis est Dd. opinio.

*Cum nullum elogium ijs adscribi possit Myns. & alij in §. postumi Instit. de exhered. lib. & §. Tam a. 2. Instit. de inoff. test.*

11.

Dividitur autem exheredatio in expresam, & tacitam a. Illa est, quando instituendus expressè & nominatim exheredatur: b ista, quando nec instituitur heres, nec exheredatur expressè, sed silentio prætereundo (unde præteritio dicta) excluditur atq; exheredatur c.

a Schneid. ad princ. tit. Instit. de exhered. lib. Borch. §. 6. Inst. cod. b arg. princ. Instit. d. t. c arg. §. fin. Inst. d. t. Cuiac. ad l. 1. & 2. de lib. & post. hered. instit.

12.

Expressè verò atq; nominatim exheredari debent liberi in lineâ rectâ paternâ existentes a: in lineâ maternâ, etiam jure novissimo, ut & parentes ac fratres, præteriri vel inter cæteros exheredari possunt: ubi præteritio pro exheredatione habetur b.

a §. 5. Instit. h. t. l. 4. §. Sancimus C. de lib. præter. b §. ult. instit. h. t. qui in hoc nullibi correctus invenitur, nec per Novell. 115. c. 3. ubi præteritio refertur ad matrem, exheredatio ad patrem Treutl. p. 2. diff. 11. th. 1. lit. c. Niel. controuv. iur. feud. diff. V. Coroll. 1. lit. d.

13.

Verum exheredatio ut valeat in expresâ requiritur præterea, ut fiat purè a, ab omni hereditate b, omniq; gradu c: in utraq; verò, ut legitima veraq; exprimatur causa d.

a l. 1. §. purè D. de lib. & post. hered. instit. Sin sub conditione, pro præteritione habetur qva testam. redit nullū. l. 1. §. de bon. poss. cont. tab. nisi



tab. nisi sub contrariâ instituat. l. Filius à patre 28. in princ. D. de lib. & post. hered. instit. l. 4. C. de instit. & substit. b. l. 19. de lib. & post. her. instit. c. 1. 3. §. filius D. de lib. & post. hered. instit. l. 8. §. si ab uno D. de bo. poss. cont. tab. d. Novell. 115. c. 3.

14.

Miles tamen in castris & expeditione occupatus, liberos suos etiam non expressâ causâ vel exheredare vel præterire silentio potest: modo liberos se habere non ignoret a. Neque hoc Novell. 115. correctum putamus b.

a §. Sed si in expeditione 7. Instit. de exhered. lib. 9. cum seq. C. de test. milit. Obrech. in eleganti disput. de discip. milit. th. 21. Treut. p. 2. disput. 10. th. 6. lit. e. b. Vigl. ad d. §. 7. Instit. h. t. ubi dissent. adducit, eorumq; respondit argumentis. Dn. Myns. ibid.

15.

Legitima autem exheredandi causa est ingratitude, cujus in parentum exheredatione definitæ sunt septem, in liberorum quatuordecim species.

Novell. 115. c. 3. Adhæc & seq. Vult sæpius alleg. c. 73. Alth. d. c. 19.

16.

Sed num & ob alias, in hac Novell. non expressas, æquè tamen graves aut graviore procedat exheredatio, magna inter Dd. est conflictio. Et quamvis in utramq; partem defensores sint quamplurimi: affirmantium tamen sententia communior, & nobis verior videtur.

Vvesemb. in Parat. D. de lib. & post. n. 5. & cons. 29. n. 49. Bor. in princ. Instit. de exhered. lib. & in tract. feud. c. 8. n. 132. Speckh. quest. iur. cent. 1. quest. 95. n. 16. & quest. seq. per tot. ubi plurimos in partem utramq; adducit tum Dd. tum ipsorum argumenta præcipua. Dis. inter alios etiam Donel. 6. comm. 12. Treutl. p. 1. disp. 13. th. 8. lit. c.

17.

Atque sic filium, qui parentem ægrotum non curaverit,

raverit, justè ab ipso, licet hæc causa non sit expressa,  
exheredari putamus.

Arg. l. 3. de his quæ ut indig. l. 1. §. 3. C. de Lat. libert. toll. & §. 6.  
3. Novel. 115.

18.

Quid autem si quis liberorum absq; patris con-  
sensu contrahat nuptias, nunquid exheredetur justè?  
Negamus, nisi cum turpi & inhonestâ personâ.

Arg. §. 10. & seq. c. 3. Novel. 115. & ibi Cuiac. Borch. de grad. fol.  
90. Vide Treutl p. 2. disp. 6. th. 5. lit. c. aliter distinguentem. Secus de iure  
Saxon. quo filia meretrix existimatione quidem, non etiam hereditate  
privatur. Landr. lib. 1. art. 5.

19.

In fratrum atq; sororum denique exheredatione  
tres ingratitudinis species sunt definite, ob quas etiam  
in testamento non expressas, inhonestis & turpib. per-  
sonis institutis præteriri licitè possunt.

Novell. 22. c. 47. Alth. d. c. 19. Donel. 6. comm. 14.

20.

EX POTESTATE instituuntur omnes homines  
tam servi: ijq; sive proprii, sive alieni: quam liberi: mo-  
dò expressè non inveniuntur prohibiti.

Text. in princ. Instit. h. t. l. 3. I D. eod. Vult d. c. 73. Servi v. non  
per se l. 10. C. h. t. sed intuitu avi libertatis, quàm simul proprii accipiunt  
d. princ. Instit. avt dominorum arg. d. l. 3. l. 1. §. regula de leg. 1.

21.

Prohibentur autem peregrini & deportati a, in  
metallum damnati b, apostatæ c. hæretici d, Colle-  
gia illicita seu non adprobata e, princeps litis causa f,  
mulier nubens intra annum luctus g, filij ex incestu-  
oso & nefario coitu progeneri h, & si qui sunt alii.

a l. 1. C. de hered. instit. l. 6. §. 2. D. eod. non tamen iure militari  
l. idem est 13. §. deportati D. de test. milit. b l. 3. C. de his quæ pro non  
script. habent. c l. 3. C. de Apost. d l. 4. C. de heret. e l. 8. C. de her.  
inst. l. 3.

instit. l. 3, §. 1, D. de collat. f l. penult. D. h. t. g l. 1. C. de secund. nup.  
Secus tamen de iure Canonico c. penult. & ult. extr. de secund. nup. &  
ibi. Imol. n. 5. Panorm. n. 1. Dd. in Novel. de nupt. in princ. cui hoc loco  
standum putamus. h Novel. 89. c. ult.

22.

Et non tantum personæ notæ possunt institui, sed  
etiam ignotæ, quas testator nunquam vidit a. Non  
tamen prorsus incertæ, ut nec post facto aliquo cer-  
tæ fieri queant b: exceptis pauperib. & captivis c.

a §. ult. Instit. h. t. l. 11. C. eod. b Vlp. in frag. §. incerta. Qui he-  
red. instit. §. incertis 25. vers. sub certa Instit. de leg. l. 6. D. de reb. dub.  
Duar. c. 2. cod. Pac. disp. 8. th. 27. Disf. Donel. 6. comm. 17. c l. id quod  
pauperibus 24. l. nulli 28. l. si quis ad declinandum 49. C. de E pisc. &  
Cler. Covarr. c. cum tibi n. 14. de test. Pac. d. loc.

23.

Hinc institutionem eiusmodi: *Post meam meaq;  
uxoris mortem proximiores utriusq; nostri cognati here-  
des sunt*: valere, eosq; qui utroq; demum conjugē  
demortuo proximiores inveniuntur commodè intel-  
ligi posse non dubitamus. Et hoc quidem adeò, ut li-  
cet conjugī superstiti ususf. bonorum prædefuncti sit  
legatus; non tamen cognati, qui defuncti mortis tem-  
pore fuerunt proximiores, sed qui utroq; demum  
conjugē demortuo, sint heredes.

24.

Num autem institui jure quis possit, in extraneo  
tria inspicienda tempora: testamenti facti, mortis te-  
statoris, & adeundæ hereditatis. Medio igitur tempo-  
re mutatio juris aut conditionis heredi non nocet.

l. 6. §. solemus. l. si alienum. 49. §. D. h. t. §. in extraneis 4. Inst. de  
hered. qualif. & diff.

25.

Deniq; & unus & plures, usq; in infinitum, quot  
testator voluerit, heredes institui possunt: qui plures  
B omnes

omnes æquè & singuli, etiam minimâ ex parte institu-  
ti, sunt heredes: quamvis unum repræsentent defun-  
ctum.

§. Et unum 4. instit. h. t. l. 26 D. ad SC. Trebel. successio n. here-  
ditaria ex iure æstimatur. l. Quotiens 9. §. heredes 12. D. h. t.

26.

Atque hætenus de personis: sequitur de IN-  
STITVENDI MODO SIVE FORMA: quæ consistit tum  
in heredis designatione, tum hereditariarum partium  
constitutione.

27.

HEREDIS DESIGNATIO sive ad hereditatem voca-  
tio, verbis hodiè quibuslibet, testantis voluntatem  
declarantibus, fieri potest a: sive expresso heredis no-  
mine, sive certo aliquo & indubitabili signo, quod  
nominis vice fungitur b: error c modò absit, & con-  
tumelia, quæ totam vitiat institutionem. d

a l. 15. C. de testam. Donel. 6. comm. 17. & 21. gl. in l. His verbis  
48. D. h. t. etiam maledictis d. l. 48. b l. Quotiens 9. §. Si quis nomen 8.  
l. Nemo 58. l. in tempus 34. D. h. t. l. Nominatim 34 D. de condit. & de-  
monst. l. 6. de reb. credit. c in ipso scil. corpore & sanguinis coniuncti-  
one d l. Quotiens 9. h. t. ubi Cuiac. l. 4. l. 7. C. eod. non etiam in heredis  
adiunctis d. l. 48. §. fin. Donel. d. loc. d d. l. 9. §. si quis nomen Don. 6.  
comm. 19.

28.

Vnde his verbis: *Omnia mea bona Titio relinquo*  
rectè fieri heredis institutionem non ambigimus.

Donel. 6. Comment. 21.

29.

Porrò & purè & sub conditione, atq; ex die in-  
certo, qui pro conditione habetur, heres institui po-  
test: non tamen ex tempore certo, vel ad tempus, sed  
vitio temporis sublato, quasi purè facta institutio ma-  
net.

§. Heres

§. Heres 9. h. t. l. 34. D. eod. tot. tit. D. de condit. instit. l. Dies 75. D. de  
Condit. & demonstr.

30.

Conditio autem vel possibilis est, vel impossi-  
lis: & utraq; vel naturâ, vel lege.

Paul. lib. 3. sent. tit. 4. §. conditionum VVesemb. in Parat. D. de  
condit. instit. n. 1. Vult. Instit. h. t. pag. 229.

31.

Impossibilis conditio institutioni adjecta, pro  
non scripta habetur, & heres purè institutus cense-  
tur.

§. Impossibilis 20. Inst. h. t. l. 1. l. 6. D. de condit. instit. l. Obtinuit  
3. D. de cond. & demonstr. Nisi sit impossibilitas perplexitatis verborum  
quâ, cum de testatoris voluntate nihil certi possit constare, institutio red-  
ditur inutilis l. 16. de cond. inst. Schneid. ad §. sub conditione Instit. de  
V. O n. 14.

32.

Possibilis conditio subdividi plerunque solet in  
potestativam, casualem, & mistam a. Subque harum  
qualicunq; heredem extraneum rectè institui planum  
est, b ita ut existente eâ sit heres c, non existente, he-  
res non sit d. Vbi tamen potestativa, si per heredem  
non steterit, quo minus impleatur, pro existente atq;  
impletâ habetur e.

a l. un. §. sin. a. 7. C. de Cod. toll. l. ult. C. de necess. hered. instit. b  
VVesemb. in Parat. d. de condit. instit. n. 3. & in §. 7. Instit. h. t. lit. g. c  
Et perinde est, ac si eo ipso momento, quo testator moriebatur, heres  
existisset Vult. d. c. 73. d Et ad intestati causam res redit Vult. d. loc.  
e l. Quæ sub conditione 8. §. Mortuo a. D. de condit. instit.

33.

Quid verò de suis heredibus, & qui necessariò  
instituendi? Et hos sub quavis possibili institui posse  
verius arbitramur a. Excepto filio, qui non nisi pote-  
stativæ subjectus, adeò ut sub alia institutus testamen-  
tum sit inutile b. Quamvis hodiè, quo ad legitimam,

B 2

quæ

quæ sine ullo relinquenda onere, ne sub potestativâ  
quidem illorum quis institui queat, sed pro non adje-  
cta habeatur c.

a l. 4. in princ. l. 6. §. 1. D. h. t. Donel. 6. comment. 12. Duar. de  
condit. instit. c. 4. b d. l. 4. in princ. l. 15. & ult. de condit. instit. c. l. 30.  
l. 3. 2. l. 36. §. cum autem C. de inoffic. test. Gail. 2. observ. 120.

34.

Plurib. institutioni conditionib. adscriptis con-  
junctas, sive copulatas omnes impleri necessum est:  
disjunctarum, vel unam sufficit.

§. Si plures 11. l. 5. de condit. instit. l. 78. in fin. de condit. & de  
monst. l. si is 13. §. Cum ita 2. & seq. de reb. dub.

35.

PARTIVM HEREDITARIARVM CONSTITVTIO,  
cujus tum demum ratio habetur, cum duo minimum  
vel plures in uno testamento sunt heredes instituti a,  
fit à testatore, vel lege b.

a Vult d. c. 73. unus n. institutus totam occupat hereditatem;  
quamvis ex certa parte, vel re aliquâ exceptâ in reliquum fuerit institu-  
tus, re illâ pro non adiectâ habitâ l. 1. §. si ex fundo 4. l. si ita 74. de  
hered. instit. (ubi Donel. 6. comm. 18. pro his verbis: Excepto fundo  
& c. legit ex certo fundo & c. sed alteram lectionem retinendam docet  
Duar. de hered. instit. c. 3.) Cuius ratio est in l. 7. de R. l. l. 6. de test.  
milit. b l. interdum 13. §. 1. de hered. instit. Vult. d. loc.

36.

LEG B hereditas a dividitur in partes XII, quarum  
unaquæq; per se considerata, hoc est, quælibet pars  
assis duodecima dicitur uncia: ipsarum numero cres-  
cente, singulis usque ad assem nomina certa tribuuntur,  
ut puta, sextans, quadrans, triens &c. Omnes v.  
conjunctim assis nomine veniunt.

a Metonymicè pro bonis hereditarijs Vult. §. alleg. c. 73. b §.  
Hereditas. 5. Instit. h. t. l. servum 50. §. ult. D. eod. quarum quatuor hæ:  
Sextans, quadrans, triens, & semis numerum partium totius: reliquæ  
unciarum designant Don. 6. Com. c. 21.

TESTA-

37.  
TESTATOR pro arbitrio hereditatem distribuere  
quot in partes voluerit, potest: easque æquales vel in-  
æquales 4. Et quod si nullam partium fecerit mentio-  
nem, ex æquis omnes & virilibus instituti censentur b.

a §. Hereditas 5. Instit. h. t. l. interdum §. 1. D. eod. b §. si plu-  
res 6. Inst. h. t. l. Quotiens 9. §. Heredes 12. D. eod. Nisi quidam ex illis  
coniunctim, quidam disiunctim sint instituti, ubi illi personæ unius vice  
funguntur, & nihilo plus accipiunt quam unus ex istis l. 15. l. 59. §. 2. Ti-  
tius D. h. t.

38.  
Si verò partes definiverit tum aut omnes sunt ex-  
pressæ, aut quædam ex illis: & utrobique as vel justus  
est sive completus, vel minus.

39.  
Omnibus expressis asse justo, res est expedita: in-  
justo, quod asse deest, unicuique heredum pro ratâ parte  
decrevit: quod redundat, cuique pro ratâ adcrevit.

§. Videamus 7. Instit. h. t. l. interdum 13. §. Sed si aliter cum seq.  
D. eod. nec id l. 23. C. de legat. mutatum cum Don. d. lib. com. c. 22. Dn.  
Mys. ad d. §. Videamus in fin. & Vult. ibid. adfirmamus Disf. Duar. his  
c. 3.

40.  
Quibusdam v. partibus expressis, quibusdam mi-  
nus, si as sit completus, indefinite heredes instituti se-  
missim aliis detrahunt, sibi que dividunt: si minus, tum  
si quid deest, id in eos, qui indefinite sunt instituti,  
æqualiter dividitur: si redundat, id quod dupundio,  
hoc est, xxiv. unciis deest indefinite scripti habe-  
bunt.

d. §. si plures l. 17. §. Quod si D. h. t.

B 3

COROL-

## COROLLARIA.

### I.

Heredis institutio an sit alienatio, quæritur? Adfirm.

*l. 8. §. fin. C. de secund. nupt. l. Peto. 69. §. Fratres de leg. 2. Cæd. ad l. alienationis 28. de U.S. n. 5.*

### II.

Filius iustè exheredatus num ob id etiam à fevdi repellatur successione, magna inter Dd. controversia, Nos adfirmativam, quæ & communior, defendendam suscipimus.

*Arg. c. 1. §. prædictis modis. Quæ fuit pri. Ca. benef. amit. Niell. controuv. iur. fevd. disp. V. th. 16. Zas. p. 8. de success. fevd. UVesemb. in tract. fevd. c. 6. Disf. Rosenth. c. 10. q. 7. lit. c. § c. 7. q. 21. § 22. ubi in utramq. partem adducit quam plurimos.*

### III.

Filiam licet dotatam successioni paternæ hævè validè renunciare, nisi cum iuramento, posse, etiam non obstante consuetudine, defendere conabimur.

*a l. 3. C. de Coll. l. 35. §. 1 C. de inoff. test. l. 61. D. de U. O. l. ult. D. de suis § leg. hered.*

*b c. quam-*



b. c. quamvis de pact. in 6. c. cum contingat de  
iurei. in 6. Schn. ad tit. Inst. de leg. agn. succ. n. 9  
Zas. ind. l. 6. 1. de U. O. n. 28 cum seqq. quamvis  
Et hoc casu si dolus, aut enormis lesio interces-  
serit, restitutio in integrum locum habeat Gail.  
2. obs. 147. Zas. d. loc. Pet. Peck. in c. non est  
obligatorium de reg. iur. in 6. c. Vide Vesemb.  
cons. 11. n. 1. Goth. ad d. l. 3. C. de coll.

#### IV.

Vbi elegans quoque occurrit controversa  
fia, An filia ante parentes, quorum hereditas  
ti renunciavit, defunctae renunciatio relictis  
liberis praedudicet? Quod negamus.

Arg. l. 14. de novat. Et per ea, qua tra-  
dit Marant. disp. 10. n. 13. Et seqq. Roland. d.  
Val. Cons. 11. Vol. 1. n. 4. Schur. de success. ab  
intest. c. 8. de ord. desc. reg. 1. spec. ampl. 3. vers.  
observatione dignum est. Schurff. cons. 74. cen.  
1. Vesemb. tom. 1. cons. 11. n. 2. 3. Et 14.  
Dis. varie Dd. alleg. ibid.

F I N I S.



Faint, illegible text in a Gothic script, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Further faint, illegible text in a Gothic script, also likely bleed-through from the reverse side.

R I N I S



99 A 6904

ULB Halle 3  
004 976 38X



TA 30L





FVII

THEMATA  
DISPUTATIONIS IX.  
DE INSTI-  
TUTIONE HEREDVM,  
ET EXHEREDATIONE, EX  
TIT. XIII. ET XIV. LIB. II. IN-  
stit. & concordantibus juris te-  
xtib. desumta:

RVÆ  
JEHOVA Duce & auspice

PRÆSIDE  
Nobilissimo, Consultis. atq; Amplisf. Viro  
DN. ARNOLDO DE REYGER I. V. D.  
& in celeberrimâ SALANA publi-  
co Digestorum Professore.  
Academici exercitii gratia ventilan-  
da proponit

IUSTVS TAPPIVS  
HILDESH. SAXO.  
Ad diem Novemb. horâ & lo-  
co consuetis.



IENÆ  
Typis Tobie Steinmanni.  
Anni. M. D. XCIV.

